

*cur. Joh. 8. v. 14. Et si ego testimonium perhibebo de me ipso, verum est testimonium meum quia scio unde veni & quo vado. Apoc. 1. v. 5. vocatur testis fidelis. Testificatus est autem Filius de seipso tum verbis Joh. 4. v. 26. Ego sum Messias Joh. 5. v. 15. Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi. Joh. 8. v. 11. Ego sum lux mundi. Joh. 9. v. 37. Qui loquitur tecum, est Filius Dei. Joh. 11. v. 25. Ego sum resurrectio & vita. Joh. 14. v. 15. Ego sum via, veritas & vita: tum factis sive miraculis. Joh. 5. v. 35. opera que facio, testimonium perhibent de me. Joh. 10. v. 37. Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere. v. 28. Si autem facio, & si non vultis mihi credere, operibus credite. Patris & Filii testimonium junguntur. Joh. 8. v. 17. in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. v. 18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit, Pater, ad quem locum digitum intendit Joh. quando inquit. Tres sunt, qui testimonium dant in caelo. Si testimonium hominum recipimus, testimonium Dei majus est &c. Spiritus S. de Christo testificatus est, tum per visibilem in Christum descensionem Joh. 1. v. 32. Vidi Spiritum S. descendentem quasi columbam, & mansit super eum, tum per Scripturarum promulgationem Joh. 5. v. 39. Scripturae testificantur de me, tum per Apostolorum praedicationem. Joh. 15. v. 26. Spiritus S. testimonium perhibebit de me. v. 27. & vos testimonium perhibebitis. Tres illi testes dicuntur in caelo. Hoc ipsum etiam Evangelio Johannis congruit. De Patre dicitur Joh. 12. v. 28. venit vox de caelo, glorificavi eum. De Verbo sive Filio dicitur Joh. 3. v. 13. nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo v. 31. qui de caelo venit, est super omnes Joh. 6. v. 38. descendi de caelo, ut faciam voluntatem Patris. v. 15. ego sum panis vivus, qui de caelo descendi de Spiritu S. dicitur 1. Joh. 1. v. 32. Vidi Spiritum S. descendentem de caelo quasi columbam & mansit super eum. Tres illi testes dicuntur unum, illud ipsum totidem verbis de Patre & Filio dicitur, quando Joh. 10. v. 30. inquit Christus. Ego & Pater unum sumus, a qua essentiae unitate Spiritum S. non esse exclu-*